

CRITERIA PSYCHOLOGICA AD AESTIMANDAS PARTIUM ET TESTIUM DECLARATIONES IN PROCESSIBUS ECCLESIASTICIS

SUMMARIUM: I. *Ratio argumenti.*

II. *Argumenti expositio.* A) *Criteria psychologica quae ad declarationes partium fere exclusive spectant:* 1. *Imago sui ipsius.* 2. *Autodefensio.*

B) *Criteria psychologica quae tum ad partium tum ad testium declarationes spectant.* 1. *De sensationibus et perceptionibus.* 2. *De memoria:* a) *De memoriae conceptu;* b) *De memoriae deficientiis;* c) *De causis deficientiarum memoriae:* a. *Defectus debitae attentionis,* b. *Extensio perceptionis,* c. *Tempus per quod «datum» seu obiectum perceptum latet in memoria,* d. *Nimium vel insufficiens studium (interés) circa obiectum perceptionis,* e. *Ratio affectiva qua perceptio etc. coloratur;* d) *Rationes quae exercitio memoriae favent, seu de legibus associationis.* 3. *Narratio facti in memoria retenti:* a) *De narrationis conceptu;* b) *De erroribus narrationem afficientibus:* a. *De erroribus qui pendent a relatore,* b. *De erroribus connexis cum narrationis obiecto,* c. *De erroribus connexis cum modo narrandi.* d. *De narrantis erroribus provocatis a modo inepto recipiendi narrationem.*

III. *Conclusio.*

I. RATIO ARGUMENTI

Codex Iuris Canonici offert iudici quasdam indicationes quae eum iuvent ad aestimandas, iuxta propriam conscientiam (c. 1608, § 3) partium et testium declarationes (cc. 1550, 1572, 1573). Nonnullae ex his indicationibus vel sunt indolis psychologicae vel fundantur in praesuppositis psychologicis.

Attamen omnes per se sunt insufficientes, uti

patet ex analysi earum quae maioris sunt significationis:

a) Canon 1550, § 1 statuit «ne admittantur ad testimonium ferendum minores infra decimumquartum aetatis annum et mente debiles; audiri tamen poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaretur». Ideo legislator mavult ut minores infra decimumquartum aetatis annum et mente debiles, non admittantur ad testimonium ferendum. Canon procul dubio fundatur in illa psychologia specifica quae huiusmodi personis est propria. Attamen canon nullam addit orientationem indolis psychologicae ad interpretandas et aestimandas declarationes, si quando aliqua ex his personis, ex iudicis decreto, eas praestiterit.

Nec tamen supersunt huiusmodi orientationes, nam:

— Quod attinet *minores infra decimumquartum aetatis annum* possumus animadvertere sequentia: 1) ut plurimum habent bonam voluntatem ac volunt declarare cum sinceritate et obiectivitate; 2) habent quoque bonam capacitatem observationis et retentionis mnemonicae; 3) attamen habent vivam phantasiam qua ducuntur ad creanda facta plus minus verisimilia necnon ad dandas interpretationes mere subiectivas illis factis quae comprehendere non possunt, ac, denique, facile subiiciuntur suggestionibus sive a seipsis sive ab aliis; 4) carent debita perseverantia et constantia; 5) carent capacitate concentrationis, quo fit ut non possint per longum tempus defigere attentionem in unum idemque obiectum; 6) saepe carent vero sensu temporis et spatii; 7) eorum capacitas criseos est adeo exigua ut ipsi vix possint comprehendere momentum et consecutaria affirmationum quas ipsi proferunt; 8) adiungitur eorum difficultas ad sese

exacte exprimendum, quae ut plurimum est notabilis.

Quod attinet vero ad *mente debiles*, sufficiat in memoriam revocare tum eorum frequentes defectus attentionis, memoriae, iudicii discretionis, sensus responsabilitatis, etc., tum eorum tendentiam ad auto-suggestionem vel ad subeundas aliorum suggestiones, tum eorum proclivitatem ad statum turbationis cum interrogandi sunt, etc. His attentis, nemo est qui non videat quam exiguam fidem mereantur ut plurimum eorum testimonia. Quod tamen minime significat eorum testimonia numquam mereri fidem ullam; videndum est enim in unoquoque casu quousque attendi debeat huiusmodi testimonium, iuxta proverbium populi: «amentes aliquando dicunt veritates».

b) Ipse canon 1550, § 1 praesupponit eos, qui decimumquartum aetatis annum superaverunt nec sunt mente debiles, testes simpliciter aptos esse eo ipso quod superarunt hanc aetatem et non sunt mente debiles. Attamen neminem fugit in hoc personarum genere plures species esse, ut ita dicamus, quae inter se differunt attenta earum psychologia. Noto aliquas peculiaritates psychologicas, adolescentium et senium; dein eas refferam notas quae sunt propriae unicuique sexui sive adolescentes sint sive senes.

— *Adolescentes* qualitatem possident qua proprius character specificatur, scilicet «conversionem» ad personas et res necnon «impulsum» ad nova experienda. Quo facile ducuntur ad narranda non facta, quae acciderunt, sed desideria, quae numquam in actum transierunt; eorum opiniones saepe fundantur in praeiudiciis; eorum iudicia non raro sunt rigida et exaggerata; subiiciuntur multis emotionibus, passionibus, mutationibus, inconstantibus, etc.

— *Senes* sunt ut plurimum veraces, quod quidem minime significat eos semper veritatem dicere. In

eorum favorem militant experientia et maturitas, sed contra eos sunt defectus concentrationis, iudicii, memoriae; facile enim obliviscuntur id quod recenter perceperunt vel experti sunt.

— Uterque sexus percipit et experitur facta diverso modo: vir plus rationaliter, mulier plus emotionaliter; vir est magis capax ad aestimandam maiorem cum exactitudine situationem aliquam in tota sua globalitate; mulier, e contra, est magis capax ad iuste aestimandas minuties illius situationis. Hic diversus modus percipiendi et experiendi facta manifestatur etiam in diverso modo quo vir et mulier eadem referunt coram iudice.

c) Canon 1549 simul cum cann. 1572-73 videntur proponere uti testem optimum illum qui sit honestus, constans, cohaerens. Attamen etiam testis honestus, constans, cohaerens potest non esse «testis optimus» eo quod subiciatur cuidam influxui, qui eum impediatur sive bene percipere, sive bene recordari, sive bene referre. Indoles cuiusque individui (quae quidem indoles considerari potest uti exitus omnium factorum endogenorum et exogenorum quae plasmaverunt personalitatem), influit potenter tum in perceptionem, tum in recordationem, tum in narrationem. Unde sequitur momentum cognoscendi relationem quae intercedit inter diversos «typos» characteriologicos atque inter functiones percipiendi, retinendi, recordandi, referendi facta. Ideo aliqua dicenda videntur circa illos «typos» characteriales, qui in hac provincia maioris sunt significationis.

— Qui *impulsibus*, qui *emotionibus*, qui *passionibus* habitualiter ex propria indole ducuntur, facile contingere potest ut non recte percipiant facta, eo quod inclinent ad ea observanda sine sufficienti animi serenitate, immo ad ea inspicienda iuxta propriam

indolem subiectivam, impulsibus, emotionibus, passionibus agitatam; periculum est ut non defigant cum diligentia in memoriam id quod perceperunt vel ut non exacte in ea conservent quod ei mandarunt vel denique ut sine obiectivitate evocent et referant quod in memoria conservarunt.

— *Interpretatores*, id est qui ultra percepta eunt, tentantes reficere proprio Marte, iuvante propria imaginatione, id quod non perceperunt, sed quod, iuxta eos, debuissent percipere. In eorum declarationibus referunt propriam restaurationem factorum potius quam fidelem eorum reproductionem.

— Qui propria indole *tendunt ad exagerandum* et quidem sive per *excesum* id est qui magnificant omnia, sive *per defectum* seu qui omnia deminuunt; quo fit ut neutri eorum facta fideliter referant. Ipsorum declarationes sunt semper suspectae et periculis obnoxiae.

— Qui habitualiter *in se ipsis* clauduntur, eo praecise quia habent attentionem semper in seipsos versam, non praestant debitam attentionem iis quae extra illos accidunt, ideoque non percipiunt res externas complete; tunc sentiunt impulsus ad complendas lacunas propriae perceptionis iis additis, quae ipsi imaginantur accidisse vel debuisse accidere. Quae cum ita sint, eorum declarationes sunt plus subiectivae quam obiectivae.

— Illi qui *ad res nimium describendas tendunt*, eo ipso quod volunt captare et describere vel minima lineamenta factorum, perduntur in sylva aspectuum nullius significationis, quo fit ut non assequantur visionem fidelem totalitatis elementorum essentialium facti de quo agitur. Ideo neque huiusmodi testes sunt apti ad fidelem narrationem factorum redendam in processu.

— *Systematice mendaces*, qui dicuntur, possunt veritatem immutare sive suis falsis interpretationibus sive creationibus phantasticis sive suis exaggerationibus, additionibus, suppressionibus. His mendacibus finitimi sunt mitomani, fabulatores, iactatores etc.

Absoluta brevi expositione paucarum omnino indicationum indolis psychologicae, quas Codex offert iudici ad inveniendam veritatem, ut magis adhuc pateat necessitas complendi praedictas illas indicationes, sufficit animadvertere quod ne quidem veracitas subiectiva alicuius declarationis dat iudici certitudinem de eiusdem adaequatione cum veritate historica (quae prae illa omnino quaerenda est). Satis sit ante oculos habere utramque veritatem, subiectivam nempe et obiectivam vel historicam, pendere a multis et diversis elementis naturae psychologicae, uti sunt modus quo producit tum «perceptio», «fixatio» vel «conservatio» alicuius obiecti in memoria percipientis, tum «evocatio» praefati obiecti ex memoria, tum denique «capacitas referendi» exacte idem obiectum recte perceptum, conservatum et evocatum. Ex alia parte unumquodque ex his elementis pendet a diversis adiunctis, quae etiam breviter illustrare conabor.

Duo tamen velim praemittere: 1) Agam exclusive de declarantibus, sive partibus sive testibus, qui supponuntur normales sub respectu psychologico. 2) Hoc studium intendit tantummodo aliquod schema vel summam principiorum psychologicorum indicare, quod sensum precautionis excitet, ita ut deponatur facilitas illa, qua aliquando acceptantur probationes nixae in declarationibus partium vel testium. Usus explicitus vel implicitus praefatorum principiorum psychologicorum, quod attinet ad perpendendam vim probativam declarationum de quibus supra, deberet illustrari numerosioribus applicationibus seu exem-

plis, desumptis tum ex praxi forensi in genere, tum praesertim ex Sententiis Rotalibus. Sed indoles huius elucubrationis id non permittit.

II. EXPOSITIO ARGUMENTI

A) *Criteria psychologica quae fere exclusive ad declarationes partium in iudicio spectant*

1. *Imago sui ipsius*

Est doctrina communis in Psychologia Experimentalis unamquamque personam paulatim sibi efformare conceptum circa seipsam, quaenam sit, quo modo sit, quantum aestimetur etc.; quae aestimatio hanc peculiaritatem praeterea habet, quod, ut plurimum, est minus obiectiva quam adulatrix, cum persona tendat ad minus aestimandum quidquid non favet propriae imagini atque, e contra, ad plus aequo aestimandum quidquid tali imagini favere putat. Ad hanc sui ipsius imaginem pertinent non solum propria persona eiusdemque qualitates verum etiam quidquid persona putat cum se ipsa identificari vel ad ipsam spectare in quocumque rerum ordine.

Explicatio verior huiusmodi fenomeni quaerenda est in «autismo» vi cuius persona sub influxu diversarum necessitatum, tendentiarum, desideriorum etc. tendit inconscie ex una parte ad contactum cum realitate obiectiva resecandum, ex alia vero parte ad sibi recreandam aliam realitatem quae est pure imaginaria. Agitur de inconscia tendentia ad videndum non id quod a parte rei existit sed id quod optamus videre (quod idem est ac videre id quod existit tantummodo in desiderio). Quis videt id quod non existit quia simpliciter desiderat illud videre. Sic v.g. pater videt

in filio ea quae filius non habet, simpliciter quia desiderat ut filius ea habeat: intelligentiam, pulchritudinem, alias optimas dotes, in quibus pater vult ut filius prae aliis iuvenibus emineat.

Exitus talis tendentiae esse solet ut persona designat «percipere», «iudicare», referre», etc. cum obiectivitate quidquid ad eam spectat. Huic tendentiaetribuendum est factum adeo frequens in litibus matrimonialibus, scilicet quod uterque coniux affirmet prorsus convinctus se optimum coniugem esse sub omnibus respectibus dum, e contra, alium coniugem esse detestabilem etiam sub omnibus respectibus.

Notandum denique «autismum» posse etiam verificari in personis normalibus, etsi in gradu minus intenso quam in personis psychopathologicis.

2. Autodefensio

Praecedenti phaenomeno saepius additur aliud non minus grave in processibus matrimonialibus.

Agitur de «autodefensione» illius «autoimaginationis» de qua supra, quae periclitari sentitur. Persona quae animadvertit in quaestionem venire vel etiam forse oppugnari vel negari illam pulchram imaginem quam de se ipsa sibi efformaverat, reagit externe vel saltem interne totis viribus et mediis, quae prompta ei sunt, ad illam imaginem defendendam.

Ratio verisimilis cur multae declarationes coniugum contententium sint falsae non est voluntas decipiendi, sed recursus tendentiae ad «autodefensionem» propriae imaginationis; quae tendentia ad «autodefensionem» eo intensior est quanto intensius vivunt facta configurantia proprium casum atque quanto intensiores sint in processu partis adversae oppugnationes.

Nec raro invenitur in litigantium declarationibus iudicialibus inconscium conamen defendendi propriam imaginem sub praetextu defendendi propriam thesim; quod, ut obtineant, facile recurrunt ad aliquem ex illis «mechanismis defensionis», quos Freud vulgavit quique sunt veluti scuta psychologica arte facta¹; huiusmodi sunt:

— *Repressio*, vi cuius in oblivionem mandatur quidquid individuo evadit molestum eo quod contradicit alicui ex eius tendentiis vel desideriis, uti est tendentia et desiderium ut bona opinio circa se habeatur; quod quidem potest manifestum fieri, praeterquam in his inconsciis oblivionibus, etiam in falsatione recordationum, in sensu culpae realis vel imaginariae vi cuius individuum impellitur ad negandam vel excusandam vel minuendam eandem culpam.

— *Autoiustificatio*, qua individuum legitimare et defendere intendit proprium modum essendi, operandi, etc. adducens excusationes, quae, etsi non fundatae, tamen ab ipso non uti tales agnoscuntur; autoiustificatio est conscia, etsi sit inconscia falsitas motivi quod adducitur ad illam roborandam.

— *Proiectio* nititur in eo quod aliquis proprias deficientias ceteris attribuit, iuxta aforismum hispanum «cree el ladrón que todos son de su condición» (putat latro omnes esse latrones). Saepe coniuges, cum in processu exponunt eorum problemata matrimonialia, immunes ab omni culpa se existimant vel alterum coniugem responsabilem propriarum culparum reddunt. Vident festucam in oculo coniugis, trabem vero in oculo proprio non vident (Mt. 7,3).

— *Compensatio*: Persona est conscia de propria

¹ H. EY - P. BERNMARD - CH. BRISSET, *Tratado de Psiquiatria*, Barcelona 1966, pp. 331 ss.

imperfectione, forse experitur se in ruinam cecidisse nec posse sese erigere, etc. Hic sensus frustrationis potest deberi pluribus causis, v. gr. alicui defectui physico, impotentiae sexuali, positioni sociali parum satisfaciendi, episodiis non iucundis vitae coniugalis. In hoc rerum statu, individuum tentat diversas vias ad inveniendam aliquam compensationem. En aliqua exempla in quibus individuum vel quaerit invenire satisfactionem alibi (quod quidem explicat multas infidelitates in vita matrimoniali, necnon derelictiones tecti coniugalis); vel se iactitat praecise de iis quae non habet, ad occultandas vel dissimulandas proprias deficientias; vel plus aequo effert sive vitia eius a quo superatur (sic maritus dissolutus censurare solet excessum moralitatis propriae uxoris) sive virtutes illius qui similem sibi reputat (sic maritus laudare solet bonas qualitates quas habet eius amasia); vel supplet sua imaginatione «autista» id quod realitas ei negavit. Patet maritum vel uxorem qui se frustratos experiuntur in vita coniugali, posse facile quaerere aliquam «compensationem» in processu per quamlibet ex supra dictis viis.

B) *Criteria psychologica quae ad quamlibet declarationem tum partium tum testium sive intra sive extra processum iudicalem spectant*

«Iter» quod sequitur obiectum («contentum») cuiuslibet declarationis factae sive intra sive extra processum constat diversis stadiis, quae breviter exponam, quaeque, in synthesi, sunt sequentia: cognitio «sensitiva» (sensatio) et «perceptiva» (perceptio); «fixatio» vel «incisio» et «conservatio» in memoria; «evocatio» a memoria et ex memoria per modum «recordationis»; «expressio» seu «narratio». Una-

quaeque ex his «functionibus» vel «activitatibus» subsunt influxui plurium condicionum a quibus pendent, uti sunt «attentio» «studiositas», «affectivitas».

1. *De sensationibus et perceptionibus*

Omnes nostrae cognitiones initium habent in aliquo ex nostris sensibus sive externis (visione, auditu, etc.) sive internis (imaginatione etc.) ad modum «sensationis».

«Sensatio» vero nihil aliud est, quoad substantiam, quam id quod in psychismo producunt excitationes quae in organis sensuum causantur ab stimulis (energiis) provenientius sive a mundo externo (uti ex pressione quam in oculum exercet aetheris vibratio) vel a nostro mundo interno. Processus vi cuius sensatio perficitur constat tribus momentis: physico, physiologico, psychico². Notandum tamen est non omnem sensationem converti in perceptionem.

Per varios processus mentales ex sensationibus generantur «perceptiones», quae includunt iudicium sensationum e quibus proveniunt. Non tamen agam de discussione circa differentiam substantialem quae adest sensationem inter et perceptionem³. Quidquid vero sit de distinctione theoretica inter utramque, in prassi clinica non est adeo evidens ulterior distinctio, scilicet, inter «perceptionem» et «repraesentationem» vel «cogitationem».

Ex breviter indicatis, sequitur: a) conceptum syntheticum «nihil est in intellectu quod prius non

² Cfr. G. BORTOLASO, *Riflessione sul conoscere*, in *La Civiltà Cattolica*, 1982, I, 240.

³ Cfr. J. DONAT, *Psychologia*, Barcelona 1944, pp. 115, 168, 159.

fuerit in sensu» doctrinae aristotelicae et thomisticae vigere in actuali psychologia; b) fidelitatem perceptionis fallere posse praeter quam ob alias causas, uti defectum attentionis vel exiguum rei studium, ob nimiam defatigationem vel ob exaggeratam suggestionem. In genere potest dici omnes defectus qui afficiunt sensationem afficere etiam perceptionem eiusdemque perturbationibus favere.

Quod attinet vero *errores perceptionis*, duo fundamentales sunt recensendi: «illusio» et «allucinatio», de quibus breviter dicam.

— «Illusio» est falsa perceptio alicuius obiecti realis, ut puta si rumore fluminis percipio uti melodiam vel si mantile pendens in muro percipio uti hominem in muro pendentem. In «illusionem» semper habetur aliquid veri (rumor fluminis, mantile pendens) et aliquid falsi, videlicet quod imaginatio addit (melodiam, hominem). Qui illusionem subit, loquitur de hoc complemento uti de re quae certo existit. Ideo non mentitur, quia habetur adaequatio inter id quod dicit et id quod cogitat. Attamen non refert veritatem, quia illud complementum suae imaginationis in ordine reali non existit.

Tot possunt esse species «illusionum» quot sunt sensationes, nempe visuales, auditivae, etc. Uti patet illusiones possunt dari etiam in personis normalibus.

— «Allucinatio» est perceptio sine ullo obiecto reali. In hoc praecise differt ab «illusionem», ubi habetur perceptio erronea obiecti reapse existentis. Ideo potest dici allucinationem esse relate ad illusionem id quod calumnia est relate ad diffamationem. Quia est perceptio sine obiecto reapse existenti, allucinatio producitur sine stimulo ullo sensuum. Ita v. gr. allucinationem patitur, qui audit voces sine ullo stimulo ex illis quae perceptionem vocis provocant.

Cum persona quae allucinationem subiit narrat illam allucinationem (v. gr. voces quas audivit), tanquam si ageretur de re quae certissime locum habuit, non dicit mendacium, quia ipsa putat vere accidisse quae narrat; attamen neque dicit veritatem, quia illae voces numquam reapse exstiterunt.

Allucinatio est phaenomenon quod per se verificatur in subiectis anormalibus; potest tamen locum habere, etsi modo exceptionalis, in personis normalibus, quae v. gr. habeant vivissimam imaginationem vel sint sub influxu alicuius status animi peculiariter agitati.

Quod spectat *causas illusionis et allucinationis*, uti iam partim insinuatum est, hae possunt esse admodum variae indolis, uti sunt defectus vel deviatio attentionis, suggestio, affectivitas, aestus passionis etc. Sic v. gr. qui est sub suggestione adventus imminentis personae carissimae, si forte videat e longinquo personam nondum recognoscibilem, potest subire «illusionem» et existimare eam esse personam illam carissimam, quam exspectat; immo potest etiam subire «allucinationem» existimans personam caram esse nubeculam quamdam quae in horizonte movetur.

Eadem ratione sponsus amans sponsam potest subire illusionem accipiendi uti virtutes sponsae, quae reapse sunt vitia, vel etiam pati allucinationem videnti in sponsa exemplar virtutum, cum prorsus virtutibus careat.

2. De memoria

a) *De memoriae conceptu*. Aliqua circa conceptum et tempora memoriae. Imprimis quoad conceptum, potest dici memoriam esse illam facultatem (quae quidem cerebrum afficit vel in tota eius comple-

xitate vel in sectore neuronali speciali) reconducendi in campum conscientiae viventiam quoad facta vel dicta etc. temporis elapsi.

Per processum mnemonicum «aprehenditur», «defigitur» vel «inciditur» et «conservatur», ut postea «evocetur» vel «reproducatur» sub specie «recognitionis», quidquid persona «sensit», «percepit», «experta est» in successivis momentis propriae vitae.

Iuxta haec «tempora» processus mnemonici, retenta distinctione ex traditione admissa, possumus loqui de «memoriis» vel, si malueris, de «functionibus» memoriae, quales sunt: «memoria incisionis vel insculptionis» eorum quae acquisita sunt in sensationibus ac in perceptionibus, quae quidem memoria est maxime transiens; «memoria retentionis vel conservationis» huiusmodi materialis adquisiti; «memoria evocationis vel reproductionis» eiusdem materialis; «memoria recognitionis» omnium quae sensibus et perceptionibus acquisita sunt.

Sermo est de datis vel obiectis adquisitis ex sensationibus et perceptionibus, non vero de datis ex sentimentis vel affectibus, quia, saltem in ambitu normalitatis psychicae, memoria non «defigit» vel «insculpit», neque «conservat» etc. sentimenta; ideoque non existit vera statutum affectivorum memoria. Quod quidem minime excludit subiectum posse referre et comparare statum affectivum praesentem cum statu affectivo, quem olim expertus est in similibus rerum adiunctis.

Notandum est ea quae continentur in repraesentationibus phantasiae non esse aliquid quod antea sensibus perceptum fuit; ea vero quae continentur in repraesentationibus memoriae esse «evocationes», vi quarum fit actu praesens id quod antea perceptum fuerat, adeo ut subiectum possit recognoscere obiec-

tum evocationis esse reproductionem illius quod antea fuerat perceptum⁴.

b) *De memoriae deficientiis*. Quoad memoriae deficientias, cum valde cognitate sint, satis erit facere quasdam breves reflexiones circa tres praecipuas deficientias, propter magnum influxum quem habent in defectum fidelitatis quod attinet declarationes iudiciales.

— *Dismnesia*, qua statim ac «datum» (elementum, factum) aliquod perceptum est, evanescit ideoque non defigitur vel inciditur in memoria. Consequenter non potest evocari vel per memoriam praesens fieri. Talis deficientia solet afficere senes, praesertim quod attinet facta recentiora.

— *Amnesia*, qua datum perceptum, defixum vel insculptum est quidem in memoriam, at postea non potest evocari vel per memoriam praesens fieri. Huiusmodi deficientia tribui potest diversis rationibus, uti progressivae cerebri degenerationi, traumati generali, violentae emotioni, etc.

— *Paramnesia* complectitur duplex phaenomenon, scilicet aut subiectum prorsus convictum est se «iam vidisse, iam audivisse», etc., id quod reapse numquam vidit, audivit, etc., aut subiectum sibi persuasum habet se «numquam vidisse, audivisse» etc., id quod reapse iam vidit, audivit, etc.⁵. Utrumque phaenomenon, praesertim primum, verificari solet in personis aetate provectoris. Qui hoc defectu afficiuntur efferunt indefesse historiolas, quas ipsi quidem creant sed eas praesentant ac si ageretur de rebus quas ipsi

⁴ Cfr. G. DE VINCENTIIS-B. CALLIERI-A. CASTELLANI, *Trattato di Psicopatologia e Psichiatria forense*. I, Roma 1972, pp. 171-172.

⁵ Cfr. G. MOGLIE, *Manuale di Psichiatria*, Roma 1940, p. 64.

viderunt, audiverunt, eis praesentes fuerunt vel partes in ipsis habuerunt.

Neminem fugit quam obnoxium sit periculis admittere uti testes in iudicio personas quae aliquo ex recensitis defectibus laborant. In earum declarationibus periculum in genere inest ne tales personae quaerant implere memoriae lacunas factis vel dictis quae numquam evenerunt, nec forte evenire possunt, sed quae ipsis, data earum peculiari experientia vitali, videntur possibile, immo et logica et reapse verificata. Nec obliviscendum est memoriam non esse ne quidem in condicionibus normalibus retinaculum quoddam photographicum, quod servat insculptam invariabiliter imaginem quam recepit vel speculum quod reflectit plena fidelitate imaginem quae ex adverso ponitur⁶.

c) *De causis deficientiarum memoriae*. Nunc in mentem revocamus aliquas ex praecipuis:

a. *Defectus debitaе attentionis*. Attentio nihil est quam applicatio voluntaria mentis ad aliquod factum, dictum, etc. In genere potest hoc principium affirmari: quo maior est attentio eo clarior et exactior est perceptio necnon facilius et magis fidelis incisio atque reproductio quae fiunt in memoria, et, consequenter, etiam narratio. Eum, qui nullam vel exiguam alicui eventui praestat attentionem, multa fugiunt vel praetercunt ex illis quae ad eventum pertinent. Huiusmodi enim data non defiguntur in memoria ideoque nec possunt postea evocari, si subiectum tentat eventum

⁶ C. FERRO, *Trattato di Psichiatria clinica e forense*, II, Torino 1870, p. 1843; KRETSCHMER, *Medizinische Psychologie*, Stuttgart 1956, p. 20.

illum narrare. Immo facile accidere potest ut subiectum imaginatione suppleat id quod ex defectu attentionis non percepit nec ideo memoriae mandavit. Nec mirum si experientia doceat problemata, quae ad memoriam referuntur, saepius revelari uti problemata quae ad attentionem spectant.

b. *Extensio perceptionis.* Omnes constatamus veritatem illius principii philosophici: «quo maior est extensio minor est ad singula sensus». Uti obvium est, quo maior est numerus factorum quae simul sese offerunt ad attentionem, maior est difficultas ea percipiendi, captandi, retinendi atque reproducendi cum omnibus eorum circumstantiis. Quod quidem magnae est applicationis ad interpretandas responsiones datas circa interrogatoria quae comprehendunt plura facta, quae coniuges vixerunt per plures annos vitae prae-matrimonialis et coniugalis.

c. *Tempus, per quod «datum» seu obiectum perceptum latet in memoria,* est tempus quod tansiit a momento perceptionis ad momentum evocationis et repraesentationis. Perceptio indiget certo tempore ut plene incorporet datum aliquod patrimonio mnemonico. At quo diutius fuerit tempus quod transcurrit a momento incorporationis ad momentum evocationis dati incorporati, eo difficilior, ut plurimum, obtinebitur ut evocatio sit fidelis. Attamen haec proportio directa oblivionem inter et tempus lapsum a perceptione usque ad evocationem, fallere potest pluribus exceptionibus, v. gr., quia durante tempore elapso saepius recordatio facti evocata est, vel quia factum fuit profunde sentitum, vel evenit in aetate qua omnia magis commovent et profundius imprimuntur. Omnes enim sciunt perceptiones iuventutis tenacius et diutius

conservari in memoria, quam facta recentia in aetate provecta percepta.

d. *Nimium vel insufficiens studium circa obiectum perceptionis.* Sensu amplo studium (*interès*) comprehendit complexum motivationum (tendentiarum, desideriorum, sentimentorum etc.) quae interveniunt ac potenter influunt in nostros actus atque in nostrum modum procedendi.

In genere sumus magis attenti ad illud obiectum quod nostra interest, utpote conforme nostris tendentiis, sentimentis, desideriis etc., quam illi quod nostra non interest, utpote his omnibus non conforme. Sed potest accidere ut studium erga aliquod obiectum sit adeo forte ut in illud exclusive totam attentionem dirigamus. Hinc profluunt varia consecraria, inter quae recensemus sequentia:

Imprimis evenit ut obiectum, quod huiusmodi studio impulsu percepimus, id percipiamus et in memoria defigamus colore et deformatione ex illo studio ortis; et exinde sequitur ut illud obiectum, praefatis elementis subiectivis transformatum, postea recordermur adaptantes nostro studio factum evocatum. Psychologi dicere solent «recordari», potius quam *videre* nunc in speculo tempus ante actum, esse *reficere* tempus elapsum iuxta modum quo studium recordantis illud transformaverat⁷.

Aliud consecrarium est hoc: qui totam suam attentionem, ob eius studium, in aliquid defigit, non praestat sufficientem attentionem aliis rebus; quo fit ut has non percipiat vel modo incompleto percipiat.

⁷ G. DE VINCENTIIS-B. CALLIERI-A. CASTELLANI, *Trattato di Psicopatologia...*, (cit. nt. 4), p. 172.

Hinc necessario sequitur harum rerum imaginem insculpi in memoria modo imperfecto; proinde «recordatio» non poterit repraesentare nisi illam imperfectam rerum imaginem.

In aestimandis partium in processu iudiciali declarationibus, non potest non attendi ad earundem partium «studia» ideoque ad earundem inclinationem versus partialitatem in controversiae solutione. Partes enim, ut plurimum, sciunt plus quam alii circa propria problemata matrimonialia; attamen non semper debita obiectivitate facta percipiunt nec veram factorum causam semper cognoscunt. Saepe saepius facta referunt prout ipsi subiective vident, impulsus quidem studio defendendi quod eorum refert potius quam collaborandi ut veritas obiectiva pateat. Quod ita fit, non quia deliberate decipere velint, sed quia incidunt in errores involuntarios ex influxu tendentiarum, desideriorum, sentimentorum, etc. Ex alia parte, influxus, quem «studium» exercere potest in attentionem, in perceptionem, in imaginis insculptionem, in recordationem atque in narrationem, est ratio cur non possit concedi plenae probationis valor declarationibus quas partes faciunt in proprium favorem et contra vinculum. Propter eandem rationem, ex adverso, concedi potest fides, ut plurimum, iis quae partes declarant contra se et in favorem vinculi, cum sciant id quod declarant in proprium nocumentum verti.

e. *Ratio affectiva qua perceptio etc. coloratur.* Vita affectiva constituitur et exprimitur instinctibus, tendentiis, sentimentis, emotionibus, passionibus. Huiusmodi complexus phaenomenorum confert in singulis nostrae existentiae momentis «tonum» vel «colorem» determinatum unicuique ex obiectis vel «contentis» nostrae conscientiae: perceptionibus

nempe, recordationibus, volitionibus etc. Quo fit ut unumquodque ex his «contentis» secumferat in omni momento «tonum» vel «colorem» affectivum plus vel minus intensum.

Hic «tonus» vel «color» affectivus constituit verum «pondus» vel melius «vim» affectivam, cum in unumquodque ex dictis «contentis» exerceat semper aliquem influxum, qui impellit, iuxta casus, veluti «motivum» aut ad agendum aut ad desinendum agere, prout agatur de vi affectiva quae «placet» vel de vi affectiva quae «displicet». Hic alterutrius significationis influxus saepius manifestatur in «deficientiis» attentionis, perceptionis, insculptionis, evocationis, narrationis. Liceat indigitare aliqua exempla huiusmodi influxus vitae affectivae, quae saepe experientia comprobantur:

— Quod habet «tonum» vel «colorem» affectivum «gratum» excitat «studium» (interés) et attentionem, dum, ex adverso, quod habet «tonum» vel «colorem» affectivum «non-gratum» frenat et minuit «studium» et attentionem. Quod non potest non exercere influxum in «perceptionem», et postea in insculptionem rei perceptae, atque in eius conservationem et evocationem.

— Status affectivus intensus favet perceptioni eorum quae consonant cum illo statu, dum, e contra, difficiliorem reddit perceptionem eorum quae sunt contraria illi statui affectivo, immo saepe hanc perceptionem falsam reddit ut eandem accomodet proprio statui affectivo.

— Uti dici solet, passio est coeca et obcoecat quicquam subit. Ideo impedit quominus percipiatur tota veritas obiectiva, cum augeat quod placet et minuat vel esclodat quod displicet.

Hinc est quod neque recordationes neque narra-

tiones eorum, quae quis in passionis aestu expertus est, possint esse fideles. Sic v. gr. qui aestu amoris ad invicem correpti sunt vident in persona amata, non quod reapse in ea est, sed quod ipsi volunt ut sit. Interpretantur quod vident in persona amata iuxta propria desideria vel somnia, quae addunt vel supprimunt in tali persona quidquid non consonat cum illo exemplari quod sibi de illa efformarunt.

Denique notandum est superius dicta circa sentimenta et passiones valere etiam de aliis quae componunt vitam affectivam, ut sunt tendentiae, motiones etc.

d) *Rationes quae favent exercitio memoriae.* Ex hucusque dictis sequitur bonam «attentionem», bonam «perceptionem», bonum «tonum affectivum» positive influere ut bona «insculptio» et bona «evocatio» mnemotecnica habeatur. Nunc autem velim aliquid specificè dicere de «legibus associationis», quae vocantur, quaeque regunt formationem cuiuslibet status psychici, uti sunt tendentiae, emotiones, sentimenta, passiones, etc., necnon formationem perceptionum vel imaginum.

Sub termino «lex associationis» intelligitur functio vi cuius imago «insculpta» et «conservata» in memoria, «evocat» sponte seu absque voluntatis interventu aliam imaginem cum qua illa habet aliquam relationem contiguitatis vel successionis, similitudinis, contrarietatis, etc. Haec «associatio» supponit, uti conditionem praevidiam, imaginem quae evocat, et imaginem vel imagines quae evocantur, fuisse aliquando totaliter vel partialiter unitas in conscientia, omnes efformantes complexum aliquem peculiaris significationis.

— *Lex contiguitatis vel successionis.* Iuxta hanc legem, imago tendit ad evocandam aliam imaginem

cum qua simul vel contigue fuit in conscientia, ratione spatii vel temporis. Sic v. gr. mulieris amatae imago suscitatur imagines eius vestium, eius domus etc.

— *Lex similitudinis*. Vi huius legis imago tendit ad evocandam aliam imaginem ob similitudinem quae inter eas intercedit, quemadmodum photographia evocat imaginem personae quae in ipsa est luce expressa.

Ex analogia, datur quoque «lex transferentiae», qua si uni imagini (v. gr. alicuius personae cognitae) associatur aliquod intensum sentimentum (v. gr. antipathiae) et videmus aliam imaginem, v. gr. alius personae quam non cognoscimus sed quae similitudinem habet cum prima, facile accidit ut erga hanc personam ignotam sentiamus eundem sensum antipathiae, quem experimur erga illam personam notam, simpliciter quia similes sunt inter se.

— *Lex contrarietatis*. Vi huius legis una imago tendit ad evocandam aliam imaginem, ratione differentiarum immo et contrapositionum, quae inter ipsas inveniuntur. Sic v. gr. imago uxoris honestae alicuius amici evocat, ex contrapositione, imaginem propriae uxoris inhonestae, ob adversantem differentiam, quae inter eas intercedit. Item maritus intensius contristatur ob negligentiam qua uxor curat propriam domum, si audit alium maritum ponderare diligentiam qua eius uxor domum curat.

Hae leges indicant quidem relationes quae «evocationem» suscitare possunt. Quatenus vero imagines reapse evocentur in singulis casibus pendet et regulatur praesertim «lege studii» (interés). Termino «studium» hic venit quidquid melius concordat cum proprio modo agendi, cum gustibus, affectionibus, desideriis, adiunctis, professione etc. personae de qua agitur. Iuxta hanc «legem studii», tantummodo evo-

cantur illae imagines quae in momento evocationis concordant cum illo studio aut quae eidem personae offerunt maius «studium».

3. *Narratio facti in memoria retenti*

a) *Narrationis conceptus*. Mens cognoscendo eformat intra se conceptum eundemque assimilat propriumque sibi facit. Qui cogitat, quatenus cogitat, concipit intra se ideam, quae est «verbum internum», cuius «verbum externum» nihil est aliud quam illius verbi interni reflexio seu expressio. Hic gressus a cogitatione ad «verbum externum» est maximi momenti, quia clare demonstrat «verbum» non esse tantum quid empiricum (ut vult theoria neopositivista sermonis), sed reflectit lucem spiritualem intelligentiae ideoque continet in se aliquid intellegibile et universale. Iam vero haec doctrina opponitur sententiae quam sustinebat Wittenstein, iuxta quem «verbum» nihil aliud est quam imago (Bild) factorum empiricorum et concretorum (Tatsachen), quae non continet in se quidquam intellegibile et universale. Sustinenendum e contra est ambitum «verbi» esse adeo vastum uti est ille cogitationis, ideoque «verbum» continere virtualitatem exprimendi (etiam admissis quiblibet limitationibus) quidquid cogitatio concipit in mente hominis⁸.

Nomine «narratio» hic intelligo expositionem, sive in processu sive extra processum factam, circa aliquid quod relator cognovit extra processum et quidem sive directe sive indirecte ex aliis fontibus,

⁸ G. BORTOLASO, *Riflessione sul conoscere* (cit. in nt. 2), pp. 243-244; idem, *Ludwig Wittenstein, linguaggio e metafisica*, in *La Civiltà Cattolica*, 1969, I, p. 142.

quodque tamen in omni casu relator «inculpavit» et «conservavit» in memoria idque «evocat» dum narrat.

Ut plurimum quoad «relatorem» distinguere oportebit duo momenta, quibus duo status psychici «relatoris» respondent, cum diverso quidem uniuscuiusque influxu in «narrationem»: momentum scilicet quo «relator» cognovit id quod narrat et momentum quo narrat id quod cognovit. Status animi, quo in primo momento «relator» afficiebatur, influere potuit et quidem multum in modum cognoscendi rem narrandam (nempe in modum eam «percipiendi», in memoria «insculpendi» et «conservandi») ideoque in modum eandem rem e memoria «evocandi» et «narrandi» in secundo momento⁹.

b) *De erroribus narrationem afficientibus.* Iam vero «narratio» affici potest haud paucis erroribus, qui pendent a causis directe connexis sive cum «relatore», sive cum obiecto «narrationis» sive cum modo quo «narratio» obtenta est, sive denique cum modo quo perficitur ipsa «narratio».

a. *Errores qui directe pendent a «relatore»*, scilicet sive ab eius perceptionibus defectuosis (v. gr. ob exiguum eius attentionem), sive ab eius imaginibus confuse insculptis, vel conservatis vel evocatis, sive ab eius exiguo vel nimio «studio» (interés), aestu emotionali et passionali, etc.

Unumquodque ex his elementis inducere potest ad aliquid suppressendum, addendum, substituendum, transferendum, erronee interpretandum, haud recte exponendum, circa facta, adiuncta, res minutas etc. obiecti narrationis.

⁹ F. GORPHE, *La crítica del testimonio*, Madrid 1962, pp. 328, 344.

In processu iudiciali, horum elementorum influxus in «relatorem» augeri potest ex nimio zelo iudicis instructoris in obtinenda a deponentibus, sub prementibus interrogationibus, factorum descriptionem plus aequo minutam. In his enim adiunctis uti patet, deponens qui aliqua ex dictis deficientiis laborat, facile incurret in errores, etiam inconscie, praecise ob eius conamen plene satisfaciendi iudicis instructoris interrogationibus.

b. *Errores directe connexi cum obiecto «narrationis»*. In dubium vocari non potest qualitates perceptionis, insculptionis, conservationis et evocationis mnemonicae pendere magna ex parte a natura ipsa factorum, quae constituunt obiectum «narrationis». Alia enim facta aptiora, alia vero minus apta sunt ad stimulandam sensationem, perceptionem, insculptionem in memoria etc., ideoque ad provocandam fidedignam imaginis reproductionem.

Errores in «narratione» provenire possunt ex eo quod facta narranda stimulant parum sensationem vel sunt difficilia observatu vel captu. Adiuncta accidentalia, secus ac essentialia, sunt parum stimulantia ideoque eorundem «narratio» est magis obnoxia erroribus.

c. *Errores directe connexi cum modo faciendi «narrationem»*. Ex reflexionibus praecedentibus eruitur «narrationem» praesupponere magnam activitatem psychicam connexam cum multis vitae psychicae aspectibus: sensatione, perceptione, imaginatione, emotione, passione, memoria, cogitatione, voluntate, etc. Ideoque in aestimanda «narratione» vel, magis in concreto, in aestimando modo faciendi «narrationem» ponderanda sunt omnia: perceptio, quae potest esse fragmentaria vel unilateralis; factorum interpre-

tatio, quae ut plurimum tendit ad efferendum quidquid favet subiecto; repraesentatio obiecti, quae non semper reapse respondet factis praeteritis; «studium» (interés) narrantis, quod potest efficere ut repraesentatio deformatur aliquid addendo vel tollendo, aliquid exaggerando vel substituendo etc.

Si «narratio» consistit in serie responsionum ad interrogationes praevis propositas, animadvertendum est interrogationes fungi munere stimuli ad evocandum facta praeterita, quae in memoria conservantur: Inter interrogationem quae proponitur et imaginem quae evocatur datur relatio associativa, vi cuius producit in deponente reactio valde significativa, quam iudex instructor diligens sapienter aestimare debet. Talis reactio manifestatur in diversis sese gerendi modis, quos deponens adoptat, v. gr. saepe responsionem retardat tanquam si velit vitare aliquam associationem sibi ingratam aut intederet tendentiam imaginationis deviare etc.

Necesse est praeterea ut deponens capacitate gaudeat narrandi cum fidelitate facta quae cognovit et quorum imaginem in memoria conservat: quae, ut fideliter exprimat, iterum requiritur quod facta suis verbis non mutet, v. gr. ampliationibus, omissionibus, tergiversationibus. Patet tamen non omnes qui narrant facta dispositos esse vel esse capaces adhibendi in sua «iudiciali depositione» conceptus et terminos qui redderent propriam narrationem erroneam etiam partialiter tantum.

d. *De erroribus quibus obnoxii sunt qui deponunt in processu, quorum causa immediata tribuenda est ei qui recipit depositionem.* Ex modo apto vel inepto quo causa instruat pendet magna ex parte solutio causae in unum vel in alium sensum. Iam vero ad vitandos

errores de quibus nunc ago, confert sine dubio observantia eorum quae prescribit can. 1564 circa qualitates quibus ornari debent interrogationes, quae proponuntur iis qui deposituri sunt in iudicio.

Vitia interrogationum quae frequentius occurrunt quaeque magis efficaciae responsionum nocent sunt absque dubio interrogationis complexitas atque responsionis suggestio. Ad haec vitia vitanda tendunt duae ex qualitatibus quae recensentur in can. 1564, scilicet, interrogationes sint «non plura simul complectentes» et «non suggerentes responsionem».

1) Interrogationes imprimis non sint adeo linguae, adeo circumstantiarum plenae, adeo complexae, ut impediant quominus deponens possit ordinatim respondere, omnia de quibus interrogatur recordari atque ea quae praecipua sunt seligere et praeferre.

2) Interrogationes praeterea sint oportet «non captiosae, non subdolae, non suggerentes reponsionem». Deponens enim, si interrogationes suggerunt responsionem, facile inducitur ad narrandum, non quod ipse reapse una vel alia via cognovit, sed quod ipsi interrogatio suggerit, etsi reapse ignoret¹⁰.

Patet ideo interrogationes favere et quodammodo impellere debere ad hoc ut pars interrogata enarret fideliter quod circa factum eiusdemque adiuncta sciverit, vitando affirmationes vel negationes nimis generales et absolutas, uti «est certum», «non est certum». Ex alia parte, iudex instruitur, qui suspicatur depositionem iam praestitam non respondere veritati obiectivae, absque dubio potest interrogationes proponere quae videri posunt «suggerentes responsionem» circa depositionis inverisimilitudinem, incon-

¹⁰ Cfr. C. FERRIO, *Trattato di Psichiatria...*, (cit. in nt. 6) p. 2379.

gruentiam, contradictiones etc.

Nec est facile interrogare bene in iudicio sive partes sive testes, cum ad bene interrogandum exigatur in iudice instructore complexus qualitatium, quae non semper simul in eo inveniuntur, quales sunt:

— capacitas intelligendi pondus et finem interrogationis;

— capacitas interrogandi tali modo ut ipse facile intelligatur nec turbet vel defatiget interrogatum, quo eum confundat aut deviet;

— capacitas auscultandi responsionem attente, studiose, patienter, comiter;

— capacitas recte captandi atque in synthesesim redigendi responsionis sensum illumque quoad substantiam fideliter transcribendi;

— capacitas animadvertendi lacunas quae in depositione inveniuntur necnon easdem adimplendi, novis propositis ex officio interrogationibus ad rem pertinentibus;

— capacitas cognoscendi deponentis psychologiam modumque sese exprimendi, de quibus aliquid dictum est in introductione, cum indicavi diversos «typos» partium et testium.

III. CONCLUSIO

Conclusio, quae ex praemissis et ex observationibus factis eruitur, non videtur esse optimista: depositiones partium et testium recipiendae sunt prudenter et caute, nec possunt accipi nisi antea analysi accuratae et profundae subiiciantur, attentis criteriis non tantum iuridicis, quae legislatio sancit et doctrina ac iurisprudentia declarant, sed etiam psychologicis, quae exposuimus in hoc studio.

JUAN JOSÉ GARCÍA FAÍLDE